

queunt, obtinuerunt. In §. 6. executoribus litterarum Apostolicarum commendatur sedula cura, et examen ante executionem instituendum, an verae sint causae in litteris Apostolicis expressae, ob quas concessa fuit dispensatio, et additur: *qua super re eorum conscientiam oneramus.*

§. II. *Praxis procurandi dispensationem tum in Curia Episcopali, tum Romana pro utroque foro.*

1380. Praenotandum primo, quod procurans dispensationem pro oratoribus ex mente Bened. XIV. accurate debeat ex ipsis oratoribus haurire notitiam facti vel impedimenti. Secundo debet nosse, an possit dispensatio impetrari; constat enim ex dictis n. 1361., quod nequidem summus Pontifex possit in omnibus impedimentis dispensare. Tertio debet nosse, a quo petenda sit dispensatio, an ab Ordinario, unde scire debet, an illius potestas se extendat ad hunc vel illum casum, de quo queritur; an vero petenda sit Romae, ubi duplex pro concedendis dispensationibus a summo Pontifice erectum est tribunal. Primum dicitur *Sacra Poenitentiaria*, secundum *Dataria*, ad quam pertinet etiam *Cancellaria*, et *Praefectura Brevium*, vocaturque officium *minoris gratiae*.

1381. Praenotandum secundo, quod *Sacra Poenitentiaria* dispensemset tantum pro foro interno in impedimentis Juris Ecclesiastici, occultis tamen dumtaxat, tam ad contrahendum matrimonium, quam ad revalidandum nulliter contractum, excepto impedimento consanguinitatis, ut statim dicetur: ideoque si ab hoc tribunali dispensatio petatur, non exprimuntur vera nomina oratorum vel dispensandorum, sed ficta; v. g. Titius, Berta, aut per litteras A. B. C. Porro facultates Majoris Poenitentiarii, et Officii Poenitentiarie secundum ordinem videre licet in Constit. Bened. XIV. quae incipit: *Pastor bonus*, et habetur in tom. I. ejusdem Bullarii pag. 319. ubi a §. 39. recensentur facultates in matrimonialibus, ac primo quidem: *In matrimonii contrahendis possit idem major Poenitentiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare; itemque super omissione denuntiationum...* At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimonii contrahendis abstineat. §. 40. In contractis vero matrimonii a dispensatione seu matrimonii revalidatione in gradu primo et secundo tantum consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis pariter abstineat; praeterquam si in secundo tantum gradu predicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges legitimis reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio et quarto gradibus publicis, possit revalidare matrimonia, ex causa subreptionis et obreptionis occultae litterarum Apostolicarum nulliter contracta; praeterquam si falsitas consistit in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat. Juxta §. quadragesimum primum Major Poenitentiarius revalidare potest dispensationem in causa reticitiae copulae. Juxta §. quadragesimum secundum in casu reticitiae intentionis facilius impetrandi dispensationem. Juxta §. quadragesimum tertium: *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adasset, in matrimonii tam contractis, quam contrahendis, in foro cons-*

cientiae dispensare et dispensari mandare possit, et valeat. Juxta §. quadragesimum quartum: Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutrō machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quam contractis matrimonii dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit. Juxta §. quadragesimum quintum facultates praedictae etiam locum habent, etiamsi gradus et impedimenta multiplicita sint: praeter dispensationem in foro conscientiae etiam legitimare potest proles, non tamen in adulterio conceptas. Juxta §. quadragesimum sextum ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensare aut dispensari mandare possit, et valeat.

1382. Praenotandum tertio, quod per *Datariam*, seu *Cancellariam* dispensemset in omnibus impedimentis Juris Ecclesiastici notoriis et publicis pro foro externo, et pro foro interno in secundo gradu consanguinitatis, quamvis occulto. Dixi, per *Datariam*; quia potius ipse summus Pontifex dispensare hic dicendus est, quamvis supplications per manus Officialeum *Datariae* transeant. Divisionem materiarum, et gratiarum Apostolicarum, quae per *Datariam* Apostolicam, quaeque per *Secretarium Brevium Secretorum* sunt expedienda, vide in Constit. Bened. XIV. quae incipit: *Gravissimum Ecclesiae universae*, quae est in ordine centesima quadragesima quinta in tom. I. ejusdem Bullarii pag. 591. Porro impedimentum hic dicitur occultum, quod vel nulli notum est, vel si uni alteri innotuerit, ad forum tamen contentiosum nondum deductum, nec fama publicum est. Juxta *La Croix* L. 6. p. 3. n. 870, et *Pignat*. censeri debet occultum, dummodo personae, quibus notum est, sint infra decem. Per forum hic intelligitur judicium, jurisdictio, aut potestas: in foro externo seu foro fori tractantur causae in ordine ad gubernationem externam reipubl. tum ecclesiasticae, tum civilis. In foro interno, sive foro poli aut conscientiae tractantur causae, praecise prout pertinent ad internum animae statum; si interveniat sacramentum poenitentiae, dicitur forum internum sacramentale. Hinc quando dicitur, Poenitentiariam absolvere in foro interno, sensus est, quod absolvat in foro conscientiae non sacramentali in ordine ad conscientiam dirigendam, ut absolutus vel dispensatus sine peccato procedat.

1383. *Principium generale.* Principaliter hic observanda sunt, quae ex Constit. Bened. XIV. retuli n. 1379. Praeterea si petatur dispensatio pro foro externo, exprimendum est I. nomen, cognomen oratorum, dioecesis, parochia et locus oratorum. Si autem petatur pro foro interno, non sunt exprimenda vera nomina oratorum, in fine tamen nomen et cognomen, cui rescribendum est; item nomen civitatis, aut oppidi, ubi ille moratur, ut infra patebit ex formula. II. Impedimentum distincte, clare, et in sua specie exprimendum est, quale est in se, et unde proveniat, an ex matrimonio rato, an ex sponsalibus, an ex copula licita, vel illicita, adjecto etiam schemate consanguinitatis, vel affinitatis. III. Si oratores dupli vel pluribus impedimentis, sive ejusdem sive diversae rationis affecti sint, v. g. si sint consanguinei ex duplice vinculo, quod tunc contingere potest, quando progenitores praevia dispensatione contraxerint, vel si sint consanguinei, et simul affines, aut simul laborent impedimento criminis, cognationis spiritualis etc. tunc multiplex impedimentum dilucide exprimendum est. Posset tamen, ubi concurrunt impedimenta, occultum unum, alterum publicum, pro foro externo peti dispensatio a *Dataria* in impedimento publico et a *Sacra Poenitentiaria* pro occulto, si absque infamia publicari non posset,

v. g. affinitas ex copula illicita. IV. Exprimenda est vera ac legitima causa movens ad impetrandam dispensationem, nempe una, vel plures ex recentis a n. 1368. usque ad n. 1377. V. Si pro causa dispensandi allegetur copula inter oratores habita, vel conversatio praebens ansam suspicioni, licet falsae, exprimi debet, an peccarint scientes, vel ignorantes impedimentum, an sub spe facilitandi gratiam. VI. Quando sponsus et sponsa conjuncti sunt in gradu inaequali consanguinitatis vel affinitatis, quamvis alias remotior trahat ad se propinquorem; in hac tamen materia tum remotior, tum propinquior gradus exprimi debet, quia in litteris dispensationis solet declarari, distantiam gradus propinquioris non obstarere. VII. Quando super affinitate in 1. vel 2. gradu petitur dispensatio, exprimi debet, utrum proveniat ex copula licita vel illicita. Illa quoque phrasis notanda est, quod consanguinei dicantur esse tali gradu invicem conjuncti, affines vero se invicem attinere. VIII. Quoad publicam honestatem explicandum est, an sit orta ex sponsalibus, vel matrimonio rato. IX. Circa cognitionem spiritualem explicandum est, unde proveniat, an intercedat filatio, et paternitas vel maternitas, an vero tantum compaternitas, vel commaternitas, an hujusmodi cognatio sit duplex, triplex, an reciproca. X. De crimine explicandum est, an processerit ex machinatione in mortem conjugis, idque alterutro, vel utroque machinante, in quo casu non solet dispensari pro foro externo, an ex solo adulterio cum promissione, an ex adulterio et machinatione simul. XI. Si petatur dispensatio pro matrimonio invalide contracto, exprimendum est, an sit contractum servata forma Tridentini in facie Ecclesiae, et praemissis proclamationibus, aut cum dispensatione in iis. XII. Si petatur dispensatio pro pauperibus, exprimenda est paupertas, non quidem pro valore dispensationis, sed pro minuendis sumptibus. Super quo puncto

1384. *Observandum* est, quod praeter formam ordinariam, dum certa taxa pecuniae solvenda est, Curia Romana in solarium egenorum introduxit aliam, quae vocatur *forma pauperum*, secundum quam dispensatio conceditur gratis, ita ut communis taxa non exigatur, etsi Agenti sit aliquid solvendum. Taxas jurium solvendorum *P. La Croix* L. 6. p. 3. sub n. 932. exponit. Porro ad hunc effectum inter pauperes reputatur *primo* ille, qui nulla bona possidet, sed tantum vivit ex proprio labore, neque alio medio vivere potest, etsi spem habeat haereditatis, quia spes non liberat de praesenti paupertate; *secundo* si parentes quidem habeant bona, sed deducto aere alieno, et oneribus tam exiguis sit proventus, ut vel simpliciter vivant ex labore, vel saltem ex bonis non habeant, quo annuatim per duos menses vivant, vel si bona, quae possident, sint tam modica, ut valorem 50 aureorum non attingant; ejusmodi sunt plerumque opifices, operarii diurni, milites, ludimagistri etc. Ut dispensetur in forma pauperum *primo* debent oratores vere esse pauperes et miserabiles, alias deest intentio Pontificis dispensandi. *Secondo* debet inter eos intervenisse copula, aut tam familiaris conversatio, quae eos suspectos reddat de copula (Romae enim nunquam dispensatur in forma pauperum, nisi propter duas dictas causas); si vero impedimentum dispensabile sit ab Episcopo, sufficit cum paupertate allegare quamcumque causam ex praedictis. *Tertio* debet addi, an copula intercesserit cum ignorantia, an cum scientia impedimenti, sive an in fraudem, et ad extorquendam facilius dispensationem, quia in hoc secundo casu vel non dispensatur, vel duplum solvendum est. *Quarto* debet mitti attestatum ab Ordinario, vel ejus Vicario, quod oratores sint vere pauperes; praeterea etiam arbor consanguinitatis, aut saltem explicari, in quo gradu se attingant oratores. Monet *La Croix* l. c. n. 929., ut solli-

citur dispensatio vel per Episcopi Officiales, vel per Nuntiaturam, quia hujus litterae certius diriguntur, ac per Agentes proprios Romae libellus supplex efficacius proponitur, quin etiam expeditiones obtinentur minore sumptu.

1385. Exemplar primum pro dispensatione obtinenda Romae per Datariam pro foro externo in forma ordinaria super impedimento publico, et notorio: *Beatusse Pater! Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum ipsius oratorum NN.* (hic exprimuntur nomina dispensandorum, dioecesis, civitatis vel oppidi, et parochiae; quia rescriptum dirigitur ordinariae ad Dioecesanum, v. g. Andreae Schütz, et Annae Mordini, dioecesis Herbipolensis de parochia Rottendorf, vel Filiali Effeldorf ad parochiam Rottendorffensem pertinente, vel quorum orator est dioecesis Herbipolensis de parochia N., oratrix vero dioecesis Bambergensis de parochia N.) *quod, cum dicta oratrix vigesimum quartum annum suae aetatis excedens virum paris conditionis, cui nubere posset, hactenus non invenerit, praefatus vero orator illam superadultam ducere in uxorem intendat, cupiant invicem matrimonialiter copulari;* vel alia ponitur debita et vera causa impetrandae dispensationis ex supra recensitis, v. g. quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, praefatus vero orator illam cum dicta minus competente dote in uxoremducere intendat, cupiant invicem copulari; vel.... quod cum dicta oratrix in loco praefato propter illius angustiam virum paris conditionis Sic applica reliquias causas relatas n. 1368. *Sed quia* (hic exprimitur impedimentum v. g.) *in secundo gradu consanguinitatis conjuncti sunt, prout ex adjuncto schemate rite colligitur, desiderium suum hac in parte implere non possunt sine Sedis Apostolicae dispensatione; hinc humiliter Sanctitati Vestrae supplicant oratores* (si pauperes sint, additur: *qui revera pauperes existunt), quatenus cum iisdem super dicto impedimento in ordine ad legitimate contrahendum matrimonium benigne dispicare dignetur. Sanctitatis Vestrae oratores devoti, qui supra.*

1386. Exemplar II. pro dispensatione Romae obtinenda per Datariam pro foro externo super impedimento publico et notorio propter copulam scienter vel ignoranter: *Beatusse Pater! Exponitur Sanctitati Vestrae humiliter pro parte illius devotorum oratorum Pauli N. et Paulinae N. de parochia N. dioecesis N. ex oppido N. quod dicti oratores* (si in forma pauperum, hic additur: *vere pauperes ac miserabiles, et labore suo ac industria tantum viventes) consciit se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite aequaliter proveniente, esse conjunctos (vigore annexi schematis) non quidem sub spe facilius obtinendi dispensationem, sed solum versus libidine victi sese carnaliter cognoverint* (si adsit proles, additur, *prolemque suscepit); cum autem nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier diffamata, innuptaque (si adsit proles) et proles illegitima remaneret, graviaque exinde scandala orientur, cupiunt praedicti oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione, supplicant humiliter oratores, (si pauperes) qui revera pauperes existunt, quatenus Sanctitas Vestra secum, ut publice servata forma Concil. Trid. matrimonium invicem contrahere, ac in eo postmodum remanere licite valeant, benevolē dispensare, (si adsit proles, additur) *prolemque susceptam ac suscipiendas proles legitimas decernere dignetur. Sanctitatis Vestrae oratores devoti NN. Herbipoli, die ... anno ... Adverte 1. Quando copula praecessit sine notitia impedimenti, sic ponitur**

supplicatio: Exponitur... quod dicti oratores orthodoxi cultores ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus matrimonialiter possent copulari, vesana libidine victi se carnaliter cognoverint, ex tunc vero ad eorum pervenerit notitiam, se tertio consanguinitatis gradu conjunctos (vel affinitatis gradu se attinere, prout liquet ex adjuncto schemate); cum autem etc. 2. Si vero praecessisset copula cum spe facilis obtinendi dispensationem, ita supplicandum esset: Exponitur, quod dicti oratores orthodoxae etc. alias scientes, se tertio consanguinitatis gradu aequali esse conjunctos, sub spe facilis obtinendi dispensationem, sese carnaliter etc. 3. Si una tantum pars, v. g. orator sub tali spe peccasset, sic exprimi posset: Quod ipsis alias scientibus, se esse... conjunctos (vel se attinere), praefatus orator sub spe facilis obtinendi dispensationem, oratricem similem spem non habentem carnaliter cognoverit etc.

1387. Exemplar III. pro dispensatione super impedimento notorio in secundo et tertio gradu impetranda per Datariam: Beatissime Pater! Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius oratorum etc. ut supra, quod praedicti oratores orthodoxae fidei cultores (si sint tales, alias si una pars sit acatholica, id exprimendum esset cum certa spe conversionis, item si sint pauperes,) cupiant matrimonialiter copulari, quia... hic exprimitur Causa. - Cum autem sint in secundo et tertio consanguinitatis gradu conjuncti, vel se attineant, vigore schematis hic annexi; ideoque desiderium suum hac in parte implere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione; hinc supplicant humiliter Sanctitati Vestrae praefati oratores, quatenus cum iisdem in ejusmodi impedimento ex tertio consanguinitatis gradu dispensare, et quod distantia secundi gradus non obstat, declarare, prolemque exinde susceptan (si adsit, vel si secus, suscipiendam) legitimam renunciare de speciali gratia dignetur etc. ut supra.

1388. Observa. In hujusmodi supplicationibus ad Datariam scribitur: Beatissime Pater, quia non inscribuntur Datario, sicut inscribuntur Poenitentiario, quando a Poenitentiaria pro foro interno petitur dispensatio. Inscriptio a foris est: Sanctissimo Patri ac Domino N. Pontifici Optimo Maximo, Domino Nostro Clementissimo N. Ipsa vero supplicatio involucro inclusa per separatas litteras dirigitur ad aliquem Romae existentem, qui Datariae porrigit supplicationem, et dispensationem sollicitet, nisi mittatur per Nuntiaturam aut Ordinarium dioecesis oratorum, qui est optimus modus, ut infra dicetur.

1389. Exemplar IV. pro dispensatione impetranda a sacra Poenitentiaria pro foro interno super impedimento occulto ad matrimonium contrahendum: Eminentissime, et Reverendissime Domine etc. etc. Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae, quod postquam Cajus Laicus Titiam carnaliter cognovit, impedimenti ignarus (vel si ita non est, ponatur conscientia) sponsalibus contractis de futuro cum sorore dictae Titiae, eam ducere in uxorem cogitet, qui contractus cum publicus sit, impedimentum vero occultum, et nisi Cajus et Titia matrimonialiter copulentur, exinde verisimiliter oritura sint scandala, cupit orator ad scandala vitanda, et pro conscientiae quiete, a praemissis, de quibus summe dolet, absolvi et secum dispensari. Quare Eminentiae Vestrae humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio, Auctoritate Apostolica provideat, quam gratiam studebit suis ad Deum precibus pro possibili demereri. Dignetur Eminentia Vesta rescribere. Vide clausulam in P. I. n. 612. Foris supplicatio inscribitur: Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Domino, S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario. Romae. Libellus supplex etiam includi

potest litteris separatis ad Confessarium in Poenitentiaria, quorum alii sunt ex Ordine Praedicatorum s. Dominici, alii ex Ordine Seraphico s. Francisci, alii ex Societate Jesu. Cui involucro exterius inscribitur: Plurimum Reverendo ac perquam Religioso Patri in Christo P. Confessario in Poenitentiaria ex Ordine NN. Romae.

1390. Exemplar V. pro dispensatione super impedimento occulto post contractum matrimonium a S. Poenitentiaria impetrandum: Eminentissime et Reverendissime Domine etc. etc. Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte devoti illius oratoris, Cajus Laici, quod ipse, alias impedimenti conscientius (vel si secus, ignarus) matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxerit, et successive consummarit cum muliere, cuius sororem antea carnaliter cognoverat (vel matrem, prout veritas exigit); cum autem dictus orator ob affinitatis impedimentum ex dictis proveniens, quod occultum est, in eo matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicae dispensatione, et si divortium inter eos fieret, scandala exinde orirentur, cupit a praemissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento ad remanendum in dicto matrimonio dispensari (si proles ex eo suscepta sit, addatur: prolemque legitimari). Quare Eminentiae Vestrae etc. ut in praeced. exempl.

1391. Exemplar VI. pro dispensatione in foro externo impetranda ab Episcopo, vel Nuntio Apostolico ad matrimonium contrahendum: Reverendissime ac Celsissime Domine (vel Illustrissime Domine, prout dignitas exigit)! Exponitur Reverendissimae Celsitudini Vestrae pro parte devotorum illius oratorum Andreae N. et Barbarae N. dioecesis N. parochiae N., quod dicti oratores orthodoxae fidei cultores (si in forma pauperum, vere pauperes ac miserabiles) ignorantibus (vel scientes), inter se intercedere impedimentum (v. g. publicae honestatis, consanguinitatis in tertio vel quarto gradu) sponsalia contraxerint, atque familiariter inter se conversati sint (hic additur si copula habita sit, vel ejus sit suspicio, et insuper an sub spe facilioris dispensationis, vel non) et nisi matrimonium inter se contrahant, dicta mulier verisimiliter diffamata, et innupta remaneret, graviaque inde scandala orirentur; cum autem etc. (hic exprimatur impedimentum) et ideo desiderium suum hac in parte implere non possint absque dispensatione; hinc supplicant Reverendissimae Celsitudini Vestrae, quatenus cum iisdem super dicto impedimento benigne dispensare dignetur. Quam gratiam studebunt suis ad Deum precibus pro possibili demereri. Reverendissimae Celsitudinis Vestrae devoti oratores NN. Herbipoli.

§. III. Resolutio Casuum.

CASUS I.

Urbano Parocho denuntiatur ab aliquo fide digno, quod matrimonium Vitum inter et Ursulam, quod contraxerant ante 7. annos alibi tum peregrini, sit nullum propter impedimentum hucusque occultum. Hinc mox vocat Vitum et Ursulam, a quibus certior redditur, quod super impedimento occulto jam ante biennium obtinuerint pro foro interno dispensationem.

1392. Q. I. Quid in ejusmodi casibus sit observandum a Parocho? R. primo, advertendum, si post matrimonium jam contractum per aliquem, vel aliquos manifestetur impedimentum hucusque occultum, Parochi non debent esse faciles ad illud publicandum per notoriam separationem, sed silentio imposito denuntiatoribus, factaque secreta separatione saltem a thoro, si conjuges vel fuerint, vel jam sint in mala fide, statim satagant ipsis providere de opportuno remedio. In nostro casu nequidem a thoro

separandi erant, cum per secretam dispensationem impedimentum prius occultum vere fuit sublatum pro foro interno; debebat igitur D. Urbanus monere denuntiatores, conjugium esse certo legitimum, interim autem procurare dispensationem etiam pro foro externo; hac ratione adhuc manebit occultum impedimentum.

Secundo, RR. DD. Parochi et Confessarii viam brevissimam eliant, quam primum recurrendo ad Reverendissimum Ordinarium; referant clare et distincte casus tectis nominibus cum omnibus circumstantiis ad rem pertinentibus, nec non cum causa dispensandi, juxta superius dicta et modo sequenti.

1393. Exemplar VII. sive formula supplicationis ad Ordinarium pro dispensatione Romae per Ordinarium impetranda super impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae post contractum matrimonium: *Reverendissime ac Celsissime Domine! Exponitur humiliter Celsitudini Vestrae pro parte devoti oratoris Caji, quod ipse alias conscius (vel ignarus) impedimenti matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxerit, et successive consummarit cum muliere, cuius matrem (vel sororem vel filiam) antea carnaliter cognoverat. Cum autem dictus orator ob affinitatis impedimentum ex predictis proveniens (quod occultum est) in eo matrimonio remanere non possit, absque speciali gratia dispensationis; et si divorcium inter eos fieret, scandala exinde verisimiliter exorirentur, desiderat de praemissis, de quibus summe dolet, absolviri, et secum super impedimento dispensari, prolemque susceptam (si quae adsit) vel suscipiendam legitimari. Quare Reverendissimae Celsitudini Vestrae humiliter supplicat, ut ei super his de opportuno remedio providere dignetur. Quam gratiam etc. Kissingae 20. Febr. 1753. Reverendissimae Celsitudinis Vestrae submississimus Capellanus NN. Parochus ibid.*

NB. Si vero Parochus ob causas graves et occultas consultum duceret, etiam suum et parochiae nomen occultare, poterit supplicationem non subscriptam committere alicui amico in loco, ubi residet Episcopus, v. g. Heribaldi commoranti, ad effectum ut illam opportune exhibeat, et post congruum tempus pro expeditione instet, eamque sibi transmittat. Ita *Method. pract. supra cit.... Praecipue hoc tenet, si notitia impedimenti non nisi ex confessione hausta sit, poenitens tamen consentiat ulro, ut tecto nomine petatur dispensatio.*

CASUS II.

Wendelinus constituitur Commissarius ad dispensandum super impedimento matrimonii; haeret autem dubius de sensu clausularum in rescripto contentarum, et de modo executionis.

1394. Ante resolutionem reflectendum est ad ea, quae in P. I. n. 613. dicta sunt, qualis executor regulariter requiratur, et quomodo debeat fieri executio. Ordinarie Romae non dispensatur super impedimentis matrimonii, sed si in foro externo sit dispensandum, id committitur Episcopo vel Vicario Generali, quem Curia Romana Officiale vocat; pro foro autem interno si sit dispensandum, id a S. Poenitentiaria committitur Confessario approbato, aut alteri, quem dispensandus elegerit. Litterae enim S. Poenitentiariae diriguntur ad oratorem, sive ad illum, qui dispensationem per se vel per alium petit, qui eas non resignare debet, sed eligere talem confessorem, quali inscribuntur, qui eas sibi ab oratore traditas resignet, et deinde cum eo secundum clausulas dispensem.

1395. Q. I. Quomodo intelligenda sint clausulae, quae rescriptis pro dispensatione matrimoniali solent inseri: *Quatenus si ita est?* R. Vi hujus

tenetur executor examinare dispensandum, an preces veritate nitantur, an causa assignata vera sit, an impedimentum ita se habeat, sicut referatur in litteris etc.; si causam vel aliud falso allegatum repererit, ad executionem non procedat. 2. Solet inseri: *Audita prius ejus sacramentali confessione*: per hanc verba innuitur, quod Confessarius executor absolutionem et dispensationem dare non debeat, nisi praemissa sacramentali confessione. 3. *Sublata occasione peccandi*; nec debet absolviri, nec dispensari poenitens, nisi prius occasionem proximam peccandi auferat, qualis est, si orator cum matre sponsae, vel sorore uxoris putatitiae saepius peccaret, quia cohabit in eadem domo etc. Itaque dispensatio differri debet, donec occasio voluntaria sublata sit; si vero occasio necessaria esset et involuntaria, scil. si non sit in potestate oratoris eam auferre, tunc differenda est absolutio et dispensatio, et praescribenda media praeservativa, donec ex occasione proxima reddatur remota. 4. *Injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi poenitentia salutari*; gravitas ejusmodi poenitentiae committitur discretioni, et prudentiae Confessarii, qui ad qualitatem, statum, sexum et aetatem poenitentis debet reflectere, semper tamen advertendo, ne unquam ex talis poenitentiae persolutione delictum forte detegi queat; poterit autem injungi v. g. jejunium vel abstinentia per annum, vel sex menses qualibet hebdomada pro delicti gravitate; recitatio integri Rosarii singulis septimanis per tres, vel plures menses, vel per totam vitam; litaniae, aut quinques Pater et Ave singulis diebus per duos vel tres annos; item largitio determinatae elemosynae etc., dummodo vere dici possit poenitentia gravis. Praeter haec subinde 5. solet addi: *Injungatur confessio saltem una singulis mensibus*. Haec juxta Gobat durat tota vita, ita ut quoties poenitens omitteret per mensum confessionem, toties peccaret graviter. Krimer vero censet, si non addatur: *In perpetuum*, satis esse, si injungatur ad annos secundum mensuram delicti. 6. *Dummodo impedimentum fieret occultum*. De hoc supra. 7. *Et aliud canonicum non obstet*; ideoque examinandum est, an praeter impedimentum narratum in supplicatione, aliud non subsit; nam etsi illud bona fide fuisset omissum, litterae tamen non haberent effectum. 8. *Praesentibus laniatis, quas sub poena excommunicationis latae sententiae laniare tenearis*, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; *quod si restitueris, nihil ei praesentes litterae suffragentur*; scil. dispensans litteras Roma missas quam primum post executionem gratiae lacerare vel comburere debet. Denique cum talis dispensatio fiat sine strepitu judicii, sed in sola confessione sacramentali, desuper nunquam dari debent litterae testimoniales in forma publica; imo ex dictis, si impedimentum fieret publicum, nova opus esset dispensatione pro foro externo.

1396. De modo revalidandi matrimonium observa sequentia. I. Ubi litteras Romanas acceperis, si habetas qualitates requisitas, et orator te ad exequendam dispensationem eligat, aperi ipso praesente rescriptum; expone omnes clausulas, quas oratorem scire oportet; quaere, an vera sit causa, an solum ibidem expressum impedimentum subsit, an praestare velit, quae injunguntur; si vera affirmet, dicatque se esse paratum ad omnia praestanda, jube ut rite se ad confessionem sacramentalem disponat, excipe confessionem, praemissisque debitibus admonitionibus injunge praescriptas poenitentias, postea praemissa consueta absoluzione sacramentali adde: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento*, v. g. affinitatis primi vel secundi gradus, *ita ut illo non obstante, matrimonium contrahere* (vel si jam contractum